QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVI. NOVEMBRIS,

M. NICOLAO COLLETET Doctore Medico, Præside.

845

An Gonorrhææ venæ cubiti sectio?

GONORRHOEA est inuita & nimia seminis profusio citra venerem, pudendis velut collacrymantibus, quæ symptoma designat in excretis: perfectum enim semen, quod neutiquam animatum est, sed benignum & quantitate solâ testium excrementum, album, calidum, humidum, spumosum, ex sanguinis pingui & puriore portione, atque spirituum influentium permixtione, vi testium officiali excoctum elaboratumque ad perfectam animalis generationem; quantumuis excerni aueat, in corpore tamen temperato solâ copiâ tum crassamenti, tum spirituum excretricem stimulat, in intemperato & morboso caliditate etiam excedente expultricem sollicitat: ideo ἐξονειρωκτικοὶ εἰσὶ κοπιῶντες ἢ φθινώδεις: eadem de causa præceps semen iis effluit qui à venere abstinent, postquam amica nuper fuit & arctior huius Deæ familiaritas. Iis semen tandem sine voluptate effunditur, qui sæpiùs in amplexus ruunt venereos: ingens labor idem præstat, & equitatio lumbos renesq; nimiùm exercendo eosdem calore fatigat, & prostatûm atque parastatûm attritu, cæterarumque partium genitalium semen incandescit, vt & piscium esu atque frequenti zythi recentis potu: quibus ex causis Gonorrhoea simplex accidit; quæ eos frequenter diuexat, qui impuberes venerem petulanter exercuerunt: frequenti siquidem tunc temporis coitu, partes imbecillæ fiunt, in quas longâ consuetudine humores abundantiùs confluunt.

VIRVLENTA autem eandem agnoscit causam proximam, intemperiem prædictarum partium calidam: aliam verò externam, putredinem nempe summam in materiâ crassâ, tenaci positam, quæ in semine aut alio humore residet, serpitque in partes intimas spirituum beneficio, quibus turgent partes spermaticæ coitus potissimùm tempore, ita vt ex impuro concubitu glandulas & vesiculas quibus tanquam arculis oleum naturale conditur, putredinis labe inquinet, calore in iis partibus præter naturam accenso, vnde intempestiua contingit seminis excretio, in cuius vacuati locũ alia succedit materia, quæ eodem vitio labefactatur & calore etiam attrahente, postea fit confluxus humorum vndiquáq; in eas partes quæ non ampliùs semen, sed saniem quandã virulentam eructant: quidquid enim in iis vasis colligitur, in tetrum fœdumque virus facessit, quod deinde contagione alium quemuis contaminat, præsertim quando ad testes vsque vitium obrepit: principio virus album aut subcitrinum è vasis spermaticis sine sensu excidit, vigilanti pariter atque dormienti: tempore auctâ putredine acrimoniam adsciscit & virescens apparet, contingitque φλεγμονώδης διάθεσις in iis partibus, cum molestissimo sensu doloris: aut ductum penis in transitu exedit & exulcerat: factum verò iam vlcus esse significat dolor exortus, qui & in tentigine quasi funem peni subtendit & in emictione tanquam in dysuriâ acriùs stimulat.

MALVM est Gonorrhoea mulieribus perinde atque viris commune: eæ enim semen emittunt idque fœcundum, aliquando masculeum, sine quo virile ἄγονον existit, cum tamen à fœminarum semine citra virilis opem, aliquando prodire possit mola, nunquam fœtus perfectus, quantumuis intenta in eam rem fuerit imaginatio. Mulieribus sæpiùs quàm viris per insomnia libidinis aut in attentâ rei venereæ cogitatione semen affatim procidit, magnâ non solùm cum voluptate, sed cum partium obscœnarum ὀδαξισμῷ quodam atque titillatione: quia earum semen crudius, aquosius, liquidius ac tenuius est, faciliúsque pulcritudinis irretiuntur illecebris: sed Gonorrhoeâ rariùs diuexantur simplici; frigidius quippe semen emittunt: profluit autem citra vllam veneris titillationem nec assiduò nec quotidie, vt in vterino fluore, sed quibusdam interuallis, à vasis spermaticis in vteri fundum & ceruicem desinentibus, estque in simplici album, serosum, omnis expers graueolentiæ & acrimoniæ ac omninò paucum: quod verò in iis per fœdam exit Gonorrhoeam continenter fertur vt in vterino fluore, sed multò crassius est & modò album, modò flauum aut virescens, odore graui molestum, acre & exedens, sæpe numerò in pudendo vlcus generans, ab vterino fluore discrepat, quod hic ab hypogastricis, illud è spermaticis vasis prodeat, quodque prorumpentibus mensibus non desinat sed cum iis & mox ab iis similiter perseueret, nec vlla sese produnt fluoris vterini indicia, sed potiùs luis venereæ apparent argumenta. Sedem habet potissimùm in vase ejaculante atque tubâ vteri, ex quorum radice producitur exiguus & gracillimus surculus valde anfractuosus qui lateraliter perreptans vterum, ad veram eius ceruicem producitur.

GONORRHOEA simplex vt cognitu ita curatu facilis est: si tamen diætâ conueniente, quiete & veneris abstinentia non sanetur, priùs iniecto refrigerante enemate ad venæ cubiti sectionem confugiendum est, quâ plethora si quæ subest morbum fouens, vacuabitur, humor ad genitales partes affluens reuelletur, & vniuersum corpus refrigerabitur. At virulenta (quæ pluribus post impurum coitum diebus aliquando apparet & à nondum contaminatâ muliere contrahi potest) vt in mulieribus difficiliùs agnoscitur, ita ægriùs etiam cognitâ causâ in viris & mulieribus persanatur: quæ propter sui turpitudinem, dolorem, mictionis difficultatem, colliquationis periculum & liberorum procreationem, quam prorsus impedit, haud cunctanter soluenda est. Initio basilicâ sectâ secundò atque tertiò si morbi magnitudo postulet, nec vires dehortentur: frustra enim tunc temporis propinatur terebinthina quæ calorem auget: incassùm purgatio quantumuis ex solâ cassiâ præscribitur, humores commouet qui in partem afflictam cõmoti faciliùs elabuntur: diuretica etiam frigida damnantur, ad partem laborantẽ superfluos ducunt humores, vt eosdem attrahit ad genitales partes è saphænâ sanguinis eductio, morbum auget & in longius tempus protrahit: coitus semper perniciosus est atq; nefandus: adstringentia siue iniecta siue admota plurimùm nocent, quoniam fœdam illuuiem coercent, virulentoq; præter naturam fluore suppresso, putredo augetur & in testes refluit humor, qui aliquando epididymida distendit, nonnunquam perinæum vel scrotum aut inguinum glandulas, tandemque lues per totum disseminatur corpus.

VENARVM autem superiorum præsertim cubiti sectio causam Gonorrhoeæ antecedentem vacuat, & humores qui in partes illas decliues facilè labuntur, reuellit, putredini aduersatur, refrigerat, doloris & dispositionis inflammatoriæ causam auerruncat: nec excretionem sistit, imò potiùs promouet: natura enim oneris parte leuata quod putredine iam inquinatum est alacriùs excernit & liberaliùs effundit: nullus propterea subest metus refluxus ad partes internas & supernas, si præsertim aluus blandis & refrigerantibus enematis sollicitetur: aer & victus refrigerans paululumque ad siccitatẽ vergens eligatur: potum det lubricus amnis: cibum lactuca ministret: somnos nymphæa salubres conciliet. Nusquam rutæ aut vitici incumbat æger, nec in molli plumâ dormiat, sed potiùs lumbis supponatur puluinus herbis refrigerantibus refertus. Apozemata viscera tẽperent æstuantia, lactucis, violis, nymphæâ, semper viuo maiore incoctis & seminibus frigidis: cerato Galeni refrigerante oxycrato pluries loto liniantur lumbi, pubes, perinæũ: in vrethram hordei, aristolochiæ, nymphææ, solani decoctum indatur: quæ quidẽ erunt irrita vt & cætera quæ progrediẽte morbo veniũt vsurpanda, nisi præcesserit venæ cubiti sectio. 292.

Ergo Gonorrhææ venæ cubiti sectio.

Proponebat Lutetiæ MARTINVS AKAKIA Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Lancelotus De Frades.
M. Iacobus Mantel.
M. Nicolaus Mathieu.

M. Carolus du Pré.
M. Petrus Hommets.
M. Iacobus Renault.

M. Gaspar Braier.
M. Nicolaus Henaut.
M. Ioannes Cousin.

